[illegible]
illis unde redderent donavit utrisque quis ergo eum plus
diligit? Respondens simon dixit aestimo quia is cui plus
donavit. at ille dixit ei recte iudicasti. Et conversus ad
mulierem dixit simoni vides hanc mulierem intravi in
domum tuam aquam pedibus meis non dedisti haec autem
lacrimis rigavit pedes meos et capillis suis tersit. Osculum
mihi non dedisti. haec autem ex quo intravit non cessavit oscu
lari pedes meos. oleo caput meum non unxisti. haec autem
unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi remit
tuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum, cui autem minus
dimittitur minus diligit; Dixit autem ad illam remittuntur
tibi peccata. Et coeperunt qui simul accumbebant dicere
intra se quis ē hic qui etiam peccata dimittit. Dixit autem
ad mulierem. fides tua te salvam fecit vade in pace;

Et factum ē deinceps et ipse iter faciebat per civitatem et castellu
praedicans et evangelizans regnum dei, et duodecim cum illo
et mulieres aliquae quae erant curatae a spiritibus inmundis
et infirmitatibus maria quae vocatur magdalenae de qua
daemonia septem exierant, et iohanna uxor chuzae pro
curatoris herodis, et susanna et aliae multae quae minis
trabant ei de facultatibus suis,

Cum autem turba plurima conveniret et de civitatibus prope
rarent ad eum dixit p similitudinem: Exiit qui seminat
seminare semen suum, et dum seminat aliud cecidit secus
viam et conculcatum ē et volucres caeli comederunt illud.
Et aliud cecidit supra petram et natum aruit quia non
habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas et simul
exortae spinae suffocaverunt illud, Et aliud cecidit
in terram bonam et ortum fecit fructum centuplum.